I N NOMINE DOMINI AMEN Ad perpetuam rei memoriam. Cum ea que Regum et Principum prouidentia sapienter indulget
admittit et ordinat ad comoditatem et vtilitatem Subditorum, infirma et caduca sunt, nisi illis ipsorum Regum et Principum contingat authoritas, ac literarum monumentis fuerint memorie et posteritati commendata. Proinde nos Sigismundus dei gratia Rex
Polonie, Magnus dux Lithuanie: necnon terrarum Cracouie. Sandomirie. Siradie. Lancicie. Cuiauie. Russie. Prussie. Culmen. Elbingen. Pomeranie Masouie etc dominus et heres: Manifestum facimus tenore presentium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris
harum noticiam habituris: Quia cum Ciues nostri Proschouien per suos Nunctios nobis declarassent, se, cum ad alios domesticos vsus et necessitates suas, tum maxime ad concinnandam et coquendam Ceruisiam, qua magna pars hominum illic rem suam familiarem et
victum sibi querit, aque penuria premi, ita vt ad singulas cocturas, illam, vel precio comparare, vel propter eius vecturam, equos continue alere et fouere, magno impendio sint astricti. Supplicassentque nobis hii ipsi ciues Proschouien, vt illos benignitate nra
regia, hac penuria et necessitate liberare, ipsisque, suis propriis impensis, construendi Aqueductus et Canalia, et in circulo illius oppidi nostri ea locandi, vnde aqua ipsa ex fluuio Szreniawa in ea perducta, ad quaslibet domos meatu subterraneo deriuari ac duci
comode, et vnicuique pro suo modulo subministrari possit, facultatem facere, et in eo ipso Aqueductu, aliquem prouentum pecuniarium competentem, qui ad manutenendum et conseruandum eundem Aqueductum, et ad alias communes necessitates ciuiles asseruari et
redigi debeat, ipsis constituere dignaremur. Nos condicionis eiusdem oppidi nri Proschewicze non ignari, memoria repetentes plurima damna, que eius Incole, propter Aque defectum, ex crebris incendiorum casibus iampridem acceperunt: considerantesque
eum ipsum Aqueductum nedum vsui et comoditati illorum, sed etiam securitati ipsorum, plurimum conducibilem futurum: ac studium et sollicitudinem eorundem ciuium, in assequendo, et propriis eorum sumptibus construendo, hoc opere Aqueductus, tam vtili quam
necessario commendantes: illis idem opus Aqueductus in Circulo, vel in aliquo alio loco illius oppidi nostri, vbi illis magis visum fuerit comodum et oportunum, erigere, construere, et locare, atque Canalia ex illo, ad domos coctorum ceruisie, et aliorum ciuium
deriuare et ducere, admisimus ac indulsimus, quo aque illic copia, tam vsibus ipsorum ceruisie coctorum, quam aliorum Incolarum eiusdem oppidi, fieri possit affluentior et accomodatior: admittimusque et indulgemus, ac in eundem Aqueductum et Canalia constru=
enda et erigenda viribus et impensa propria ipsorum ciuium consentimus per presentes. Vt autem ipse Aqueductus cum suis Canalibus pro rata rerum et temporum futurorum comodius conseruari ac reparari, et impensa communis ex publico Era=
rio in illo insumenda, sarciri aliqua in parte, illi oppido nro possit, et vt etiam sciant eius Consules moderni et pro tempore existentes, quo Iure in eodem Aqueductu et canalibus vti debeant, ordinandum et constituendum duximus, ac ordinamus et con=
stituimus authoritate nostra regia, tenore presentium mediante, vt singuli ciues qui ex Ceruisia rem suam familiarem sibi procurant, a singulis cocturis ipsius ceruisie, pendant ad pretorium, racione aqueductus predicti et vsus ipsius, quatuor grossos. Alij
vero ciues, hospites videlicet seu domorum patroni, qui Ceruisiam non coquunt, soluant per vnum grossum singulis anni quartalibus. Et Inquilini eorum si sint opifices et magistri cuiuscunque artis mechanice, qui interdum plures familiares, et artis sue socios
ac discipulos fouere solent, soluere similiter teneantur per vnum grossum. Alii vero inquilini nullum artificium exercentes, contribuere teneantur per medium grossum singulis anni quartalibus seu quatuor temporibus. Eundem autem Aqueductum
cum suis Canalibus ex illo deriuatis ac deriuandis, et totum prouentum supra descriptum, nichil prorsus nobis et successoribus nris ex eo reseruando, predicto Oppido nro Proschewicze ascribimus: ac aliis eius prouentibus communibus ciuilibus adiungimus
et incorporamus, per ipsos eius Consules et ciues modernos et pro tempore existentes, cum omni Iure, dominio, et proprietate tenendum, habendum, vtifruendum, quieteque et pacifice, sine cuiusuis impedimento possidendum: et ad vtilitatem et comodum reipublice illius oppidi
conuertendum, prout ipsis eius Consulibus et ciuibus melius et vtilius visum fuerit expedire. Cuius quidem Aqueductus et Canalium, Proconsul et Consules moderni et pro tempore existentes eiusdem oppidi nostri Proschewicze administrandi, reficiendi, et
instaurandi, ac prouentum supra per nos constitutum colligendi, eumque cum scientia communitatis illius oppidi, iuxta exigentiam eius necessitatis dispensandi, precipuam curam et potestatem habebunt, perpetuis temporibus et in euum. In cuius rei
testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Actum et datum Cracouie feria quarta proxima post dominicam Reminiscere. Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo. Regni vero nostri anno vigesimo sexto. Presentibus Reuerendis in
christo patribus dominis Petro Thomiczki Cracouiensi, et Regni nostri vicecancellario. Joanne Choienski Premislien. Petro de Gamratis Camenecen Episcopis, necnon Magnificis venerabilibus et generosis Christoforo de Schidlowiecz Castellano et Capitaneo Craco=
uiensi generali, et Regni nostri Cancellario. Joanne Comite de Tarnow Palatino Russie generali, ac Exercituum Regni nostri Supremo ductore et Sandomiriensi Capitaneo. Petro Kmyta de Wissnicze Voynicen, Marsalco Regni nostri, ac Scepusien Premislien
et Colensi capitaneo. Stanislao de Sprowa Vissicien, et Capitaneo Opoczinen. Laurentio Mischkowski Biecen. Joanne Wietzwienski Plocen. et capitaneo Brathianen. Petro Opalenitzki Landen, capitaneo Costensi, et Serenissimi filii nostri domini Sigismundi secundi
polonie regis curie magistro. Martino Mischkowski Vielunen Castellanis. Joanne de Lassko Gnesnen et Lancicien Preposito. Nicolao Zamoschki Scholastico Lancicien, et Cantore Sandomirien. Bernardo Wapowski Cantore Cracouien, Samuele Maczieowski, Canonicis
Cracouiensibus Secretariis nris. Silvestro Ozarowski Succamerario nro. et capitaneo Zawichosten. Joanne Tharlo de Szekarzowice Structore mense nre. Simone Chlewiczki magistro coquine nostre, ceterisque dignitariis officialibus et aulicis nostris testibus ad
premissa, sincere nobis et fidelibus dilectis. Datum per manus prefati Reuerendi in christo patris domini Petri Episcopi Cracouien. et Regni nostri vicecancellarii, sincere nobis dilecti.

Petrus Epus et
vicecancell subscripsit

Relatio eiusdem Reuerendi in Christo patris domini Petri de Thomicze Episcopi
Cracouiensis, et Regni Polonie vicecancellarii

Oblata 25 Februarij 1798

Privilegium super Aqueductu
Et Canalibus:—

R

1532

Na Rurmus y kanaly y pod... Miasto brać od tych coby woda brali Aō 1532